

Navarrus, consil. 4, h. t.; Zerola in *Praxi episcop.* part. I, vers. *Ordo*. § *Ad quintum*; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 48, n. 44, cum aliis. Ratio est: quia nec a jure canonico, nec a concilio Tridentino, nec a Pio II, ulla pœna suspensionis, vel irregularitatis, contra ordinatos non servatis interstitiis statuta reperitur. Nec urget bulla Sixti V, pœnam suspensionis in tales statuentis: quia ipsa fuit revocata per Clementem VIII, ut dictum num. 172.

204. *Peccat tamen uterque, ac subiacet pœne arbitrarie.* — Cæterum, quia uterque eorum est voluntarius, culpabilisque transgressor sacrorum canonum, et quidem in materia gravi, sive sacrorum ordinum: hinc de culpa, seu peccato ab ipsis contrahendo, dubitari nequit, sicut nec de pœna arbitraria, quam superior ob talem canonum transgressionem imponere valet.

205. *Quæ sit pœna episcopi conferentis cuiuspiam duos sacros ordines eodem die?* — Additur notanter num. 203. « Dummodo non eodem die duo sacri ordines conferantur eidem. » Nam episcopus ordinans quempiam eodem die, vel duobus continuato jejuniis, ad duos sacros ordines, suspensus est a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem, et dispensationem impetraverit, arg. c. *Litteras*, 13 § fin. h. t. ac notat Barbosa ibid. num. 4, citans alios; quamvis Abbas ibid., n. 2, § *Octavo nota* et Pirhing h. t. n. 108, asserat, talem potius esse suspendendum.

206. *Et hos ita suscipientis?* — Alter vero, qui eodem die duos sacros ordines suscipit, suspensus est tantum ab executione ultimi ordinis illo die sibi collati, arg. cit. c. *Litteras*, h. t. et notat Abbas ibid. § *Item ultimo*, et Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 44, num. 11, citans alios. Nam in cit. cap. solum dicitur, quod is, qui eodem die, continuato jejuniis, in diaconum et presbyterum fuerat ordinatus, « ab executione officii sacerdotalis debuerit manere suspensus; » et consequenter non suspendebatur ab executione ordinis diaconatus, utpote primo loco, ac licite suscepti: haud obstante, quod episcopus cum ordinans, a collatione utriusque ordinis suspendatur; quia hoc ibidem fuit expressum; simulque major fuit culpa episcopis ordinantis (utpote qui fuit dignior, debuitque esse prudentior) quam clerici sic ordinati. Glossa fin. cit. c. *Litteras*.

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia visum est titulo præcedenti de ordinandis, eorumque qualitatibus, sequitur nunc de scrutinio, per quod iidem sunt examinandi, et scrutandi, an polleant requisitis qualitatibus.

2. *Scrutinium quid, et quotuplex?* — Queritur I. Quid, et quotuplex sit scrutinium? Resp. I. *Scrutinium*, quantum ad propositum, est diligens inquisitio, seu examinatio circa qualitates ordinandorum, facta ab eo, ad quem spectat. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 1, et communis. *Scrutinium* quippe derivatur a *scrutando* seu inquirendo; nam is, qui examinat ordinandos, scrutatur, seu inquirat eorum idoneitatem, ac requisitas pro susceptione sacrorum ordinum qualitates.

3. *Scrutinium a concilio Tridentino præscriptum, quale sit, et an ubique usu receptum?* — Resp. II. Triplex scrutinium de facto potest apte distingui. Primum est, quod per mensem ante ordinationes coram parochis, vel alio per episcopum deputato faciendum est, juxta præscriptum concilii Tridentini, sess. 23, cap. v, *de Reform.* ubi decernitur, ut promovendi ad ordines, per mensem antea episcopum adeant, qui parochis, vel alicui alteri committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, et vita diligenter inquirant, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, quamprimum ad episcopum transmittant. Et de hoc scrutinio, utpote primum per concilium Trid. introducto, Abbas Panormit., *ad Rubricam*, h. t. alique antiquiores canonistæ, mentionem non faciunt, qui proinde duplex dumtaxat scrutinium, illico declarandum, distinguunt. Quin etiam memoratum primum scrutinium in Germania non esse usu receptum, quamvis expediret adeo salubrem constitutionem recipi, testantur Engel, h. t. n. 1, et Sannig eod. n. 4.

4. *Alterum scrutinium.* — Alterum scrutinium est illud, quod feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur,

est instituendum, convocando singulos ordinandos, eorumque genus, patriam, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, fidemque diligenter examinando. Et de hoc loquitur cap. *Quando episcopus*, dist. 24, et concilium Trident. cit. sess. 23, cap. VII, et cap. XII, *de Reform.*

5. *Et tertium, in actu ordinationis peragendum, explicatur.* — Tertium scrutinium peragitur in ipsomet actu ordinationis, dum circa ejus initium episcopus, per archidiaconum sibi assistentem requiritur, illis verbis: « Reverendè pater, postulat sancta Mater Ecclesia, ut hunc diaconum (vel subdiaconum) ad onus presbyteratus (vel diaconatus) ordinetis. » Idemque episcopus scrutando ordinandi idoneitatem statim archidiaconum interrogat, si sciat eum esse dignum. Ad quod archidiaconus, juxta præscriptum *Pontificalis Romani*, respondet, quod « quantum humana fragilitas nosse sinit, et scit, testificatur illum ad hujus onus officii esse dignum. » Et de hoc scrutinio loquitur textus in cap. un. h. t. ac memoratum *Pontificale Romanum*, tit. *De ordinatione diaconi, et presbyteri*.

6. *Utrum is, qui ordinari desiderat, in dubio præsumatur idoneus, vel hoc probare teneatur? Quæstio hujusmodi præcedit generaliter in omnibus qui promoveri desiderant.* — Queritur II. Utrum is, qui ordinari desiderat, in dubio præsumatur dignus etque idoneus? vel potius teneatur probare suam idoneitatem? Hæc quæstio præcedit quoad omnes illas qualitates, ad legitimam sacrorum ordinum receptionem requisitas, de quibus scrutinium ordinandorum institui potest, ac debet: ut puta, quoad genus, et an quis sit legitime natus; quoad patriam, ut sciatur, an sit subditus episcopi; quoad personam, an non sit corpore vitiat, bigamus, obligatus ad ratiocinia, servus, etc. Quoad ætatem, an habeat requisitam a jure, seu a concilio Tridentino; quoad mores, doctrinamque ac hujusmodi. Et hæc quæstio est notabilis, quia procedit non solum in ordinandis, sed generaliter in quibuscumque aliis, qui assumi ad aliquam dignitatem, vel officium desiderant.

7. *Ratio dubitandi, ac militans pro presumptione idoneitatis, proponitur.* — Ratio dubitandi, ac pro presumptione idoneitatis militans, desumitur ex cit. cap. un. h. t. ubi Pontifex inter alia inquit, quod archidiaconus, presentaturus episcopo ordinandos, illum, « quem indignum esse non novi id;

genum debeat aestimare. » Ubi idcirco Glossa finalis notandum ait, quemlibet præsumi dignum, nisi probetur indignus. Concordat, et adhuc fortius urget cap. *Dudum*, quod est ultimum, *de Præsumptionib.* ubi is, pro quo Papa rescribit, ut ad beneficium recipiatur, sub clausula, « Si fuerit idoneus, » non teneatur se probare idoneum, « cum (inquit Pontifex) prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. » Verum his non obstantibus,

8. *Ordinandorum idoneitas in dubio non præsumitur, sed est probanda. Regula est, Præsumitur quis bonus et idoneus, donec contrarium probetur.* — Resp. I. Ordinandorum idoneitas in dubio non præsumitur, sed est probanda. Ita communis; et patet ex ipsa praxi Ecclesiæ, tam serio prævium ordinandorum scrutinium, atque inquisitionem circa ipsorum genus, morum probitatem, doctrinam, atque alia ad statum clericalem pertinentia requirentis, ut videlicet hoc modo eorundem idoneitas antea debite probetur. Accedit ratio: quia, licet regulariter quis præsumatur bonus, et idoneus, donec contrarium probetur, per textus n. præc. allatos, ac fusiis tradit Mascardus *de Probationib.* concl. 879, n. 1, citans alios; hæc ipsa tamen regula plures patitur limitationes, atque fallentias, quæ impræsentiarum locum habent.

9. *Fallit hæc regula, ubi agitur de præjudicio tertii.* — Et primo quidem regula illa limitatur, ac fallit, ubi agitur de præjudicio tertii, quod ex tali presumptione idoneitatis oriri potest; atqui in collatione ordinum, ob præsumptam idoneitatem ordinandorum facta, agitur de magno præjudicio tertii, seu Ecclesiæ, ne forte idonei ordinentur, atque in Ecclesiæ ministros assumantur; ergo. Major est Glossæ, fin. in c. *Sicut nobis*, 39, *de Sentent. excomm.* et Abbatis in c. *Cum in jure*, n. 2, *de Offic. delegat.* ubi inquit: quod, ubi agitur de præjudicio tertii, non sufficiat præsumptio, sed debeat fieri plena probatio, arg. c. *Cum a nobis*, 28, *de Testib.* Idem docet Felinus in cap. ult. n. 12, vers. *Fallit primo. de Præsump.* Mascardus, cit. concl. 879, n. 5 et alii. Hinc in simili, ac ne creditori præjudicium generetur, fidejussor non præsumitur idoneus facultatibus, nisi probetur, l. *Si vero*, § *Qui pro rei*, ff. *Qui satisfacere cogantur*, et tradit Alexander, consil. 37, n. 3, lib. II, citans alios.

10. *Et procedit potissimum quoad qualitates intrinsecas, non quoad extrinsecas.* — Deinde

regula illa, quod quilibet præsumatur idoneus, potissimum procedit quoad intrinsecas, seu quoad qualitates intrinsecas, cum quibus homo nascitur; scilicet, quod aliquis sit castus, pacificus, sobrius, etc. Talem quippe idoneitatem præsumitur quis habere, donec contrarium probetur; ut inquit Glossa c. *Si forte*, 11, vers. *Scientia de Election.* in 6, sic intelligens jura n. 7, relata; et Menochius, lib. VI, de *Præsumptionib.* præsumpt. 91, n. 2, et seqq. citans alios, atque inde concludens, quod circa hæc non requiratur aliqua extrinseca probatio, sed (nisi constet de contrario) sufficiat ipsa juris præsumptio; dummodo princeps, ut puta Summus Pontifex non exigat præviam talem probationem per verba: «Si idoneus repertus fuerit,» aut hujusmodi. Secus dicendum est de idoneitate extrinseca, sive ubi agitur de scientia, arte cantandi, divitiis, ac hujusmodi qualitatibus, quæ accidentaliter proveniunt, et non insunt homini a natura: nam talia non præsumuntur, nisi probentur, Glossa loc. cit.; Abbas. d. c. *Cum in jure*, n. 2, de *Offic. delegat.*; Menochius, ubi supra, n. 16 et seqq. Mascardus cit. conclus. 879 n. 4, et alii, quos citant. Ergo hoc ipsum est dicendum in proposito quoad ordinandos; præsertim, cum talem probationem jura expresse requirant, dum exigant prævium scrutinium, sive examen eorundem circa genus, ætatem, doctrinam, et alia hujusmodi.

11. *Regula illa amplius declaratur.* — Tertio ad intelligendum, qualis ab alio debeat quis in dubio præsumi, est distinguendum eum Abbate Panormit. in cap. un. num. 7, h. t. Quia vel talis nihil petit, ad quod requiritur ejus habitus, vel idoneitas: et in dubio debet plus præsumi dignus, quam indignus, bonus potius, quam malus. Vel talis aliquid petit: et tunc quidem ejus idoneitas naturalis debet præsumi, dummodo non appareat in præteritum, vel in præsens de aliqua ejus inhabilitate; quia alioquin semel malus, seu idoneus, semper præsumeretur talis donec probaretur contrarium, juxta reg. 8 juris in 6. Secus dicendum de idoneitate accidentali sive extrinseca, ut proxime dictum. Unde sive quæretur de promovendis ad beneficia, vel ordines, sive de personis ad officia, vel dignitates sublimandis, ille qui talia petit dignus non præsumitur, nisi probetur: nam idoneitas ad ista, requirit plures qualitates, non solum intrinsecas, sed etiam extrinsecas, quæ non præsumuntur, sed de ipsis di-

ligenter est inquirendum. Abbas, cit. n. 7; Mascardus, ubi supra, n. 12, et seqq. et alii.

12. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec obstant rationes dubitandi, num. 7, allatæ. Nam præter generales responsiones quæ habentur ex dictis, specialiter ad cap. un. h. t. respondetur merito archidiacono, qui episcopo præsentat ordinandos, posse eos, quos indignos non novit, dignos existimare: quia præcessit horum diligens examen (cui etiam ipsemet archidiaconus de jure interesse debet, c. *Ut nostrum*, 9, de *Offic. archidiacon.*) atque approbatio per examinatores facta: sicque merito præsumuntur esse idonei, ac per archidiaconum æstimantur digni, nisi quem eorum aliunde noverit esse indignum. Et hoc ipsum procedit in aliis casibus, ubi aliunde apparent rationabilia motiva, seu conjecturæ sic existimandi, seu præsumendi; ut quia per alios quis est præsentatus ut idoneus, aut electus et confirmatus ut dignus, aut a viris probis, ejusque notitiam habentibus, recommendatus ut habilis: nam ob talia motiva rite præsumitur etiam extrinseca, et accidentaliter idoneitas, donec contrarium probetur; alias secus. Abbas ad cit. cap. ult. num. 7, atque innuit Glossa ibid. §. *Et scit.*; Menochius, cit. præsumpt. 91, n. 22, et alii.

13. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Ad c. *Dudum.* sive ult. de *Præsumpt.* dicitur cum Abbate ibid. num. 7, et Viviano in *Rationali juris*, ibi sermonem esse de idoneitate naturali, et intrinseca, quam quis non tenetur probare, cum præsumatur; sed qui contrarium objicit, ille tenetur hoc probare, ostendendo delictum, irregularitatem, aut hujusmodi, prout innuit Glossa finalis ibidem. Quod si vero nullus se opponat, tunc ante collationem ordinum, sicut et beneficiorum, episcopus, sive alius prælatus ex officio tenetur promovendum super talibus requisitis examinare; ut habetur c. *Accepimus*, 13, de *Ætate et qualitat. præficiend.* et concilio Tridentino, ubi supra, et alibi.

14. *Qua ratione idoneitas ordinandorum possit probari?* — Quæritur III. Qua ratione idoneitas ordinandorum possit probari? Resp. Id varie fieri posse, juxta conditionem, atque exigentiam singularum qualitatatum. Et quidem qualitates intrinsecas, ut puta quod quis sit castus, justus, etc., licet prima facie præsumantur, tamen ut appareat, an de contrario non constet, juxta præscriptum concilii Tridentini, ac receptam praxim Ecclesiæ, solent exigi litteræ testimoniales proprii præ-

ceptoris, magistri, parochi, vel alterius legitimi superioris, super vita et institutione, moribusque ordinandorum, quas etiam hi episcopo, seu constituti ab ipso examinatores exhibere, sicque morum prohibitatum, quoad externum saltem judicium humanum probare coguntur: nam interiora relinquuntur judicio divino.

15. *Natales, ætas, libertas, titulus, etc.; quomodo probentur?* — Deinde natales, atque ætas solent probari ex attestacione parochi, ac schedula baptismali. Libertas autem per publicum testimonium magistratus loci, unde quis oriundus est: quanquam, si ob incursum hostium liber baptismalis periisset, vel ad patriam aditus non pateret, etiam probatio per testes, et famam, concurrentibus præsertim aliis indicis, sufficere possit; prout accidit in aliis, quæ sunt difficilis probationis. Porro titulus competens sustentationis, per instrumentum authenticum (nisi de ipso per facti notorietatem constet) doceri debet. Doctrina vero, non per testes, aut famam, sed per prævium examen probanda est. Denique corporis integritas per experimentum sensuum cognoscitur: immunitas autem a censuris, et irregularitate, non aliter probatur, nisi ex assertione ordinandi, et quod nullus adsit, qui impedimentum canonicum objicere ac probare valeat. Pirhing, h. t. n. 4.

16. *Cur libertas sit probanda, cum tamen omnes homines naturaliter nascantur liberi?* — Dices: Omnes homines naturaliter liberi nascuntur, § *Jus autem gentium. Instit. de jure natur. gent. civil.* Ut quid ergo requiritur probatio libertatis suæ facienda ab ordinando, per testimonium magistratus loci? Resp. id accidere ex eo: quia, quamvis libertas homini naturaliter conveniat, nihilominus tamen jure gentium ad compescendos malos, aliisque justis de causis, servitus fuit introducta, can. *Jus gentium*, dist. 1, sicque nonnulli nascuntur servi, qui cum absque consensu dominorum suorum ordinari prohibeantur, merito per ordinandum inter alias qualitates extrinsecas, vel accidentales, libertas est probanda, vel saltem scripta suorum dominorum licentia afferenda, ne alioquin quandoque servos ordinari contingat, quos in magnam confusionem Ecclesiæ, et scandalum fidelium, suis postea dominis reddi oporteret, prout amplius infra, tit. de *Servis non ordinandis* dicitur.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — A proprio episcopo sacros ordines esse recipiendos, jam supra tit. X, de *Temporibus ordinationum*, § 4, n. 77, et seqq. dictum fuit; restat examinare, quid juris sit, si is renuntiaverit episcopatu, aut excommunicatus existat. Et de his ambobus agitur in præsentis titulo; unde,

2. *Renuntiatio episcopatus potest fieri dupliciter.* — Quæritur I. Quot modis possit fieri renuntiatio episcopatus? Resp. I. Dupliciter ipsa potest fieri, renuntiando videlicet loco tantum, et renuntiando loco et dignitati simul. Ita est textus expressus in cap. 1, h. t. ac notat communis doctorum. Et quidem tunc episcopus renuntiat loco tantum, quando is ex rationabili causa, puta ob conceptum malæ plebis erga se odium, seu ob hostilitatem, vel aeris intemperiem, episcopatum in manus Pontificis renuntiando, dimittit diocesin dumtaxat, titulum tamen episcopalem et auctoritatem retinet. Tunc autem loco et dignitati simul renuntiat, quando ob zelum v. g. ingrediendæ religionis, vel ut præveniat promeritam depositionem, resignat ipsum episcopale munus, nomen, atque ordinis executionem, dimittendo in manus Summi Pontificis omne jus episcopalis administrationis respectu cujuscumque loci, quamvis ordinis adhuc retineat ea, quæ sunt episcopalis ordinis.

3. *Episcopus simpliciter renuntians, an in dubio censeatur renuntiasse loco tantum, vel loco et dignitati simul?* — Resp. II. Episcopus simpliciter renuntians episcopatu, censeatur in dubio renuntiasse loco tantum, non autem loco et dignitati simul; nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu depositionis ita renuntiaverit. Ita Hostiensis in *Summa*, h. t. § *Sed qui, si simpliciter*, et Abbas eod. n. 8. Ratio est: quia renuntians, stante dubio, manet in possessione episcopalis dignitatis; sicque ei, qui contrarium dicit, incumbit probatio. Dummodo hinc excipiat renuntiatio facta ab episcopo ob criminis conscientiam: quia tunc is non præsumitur sibi episcopalem